

terra perit memoria eorum, qui cum essent rami naturales, propter infidelitatem fracti sunt¹.

XIX. « Pro eo quod non est recordatus, » vel ille Judas, vel ipse populus, « Facere misericordiam. » Sed melius de populo accipitur quod ait: « Non est recordatus. » Nam si Christum occidit, saltem recordaretur poenitendo, et faceret misericordiam super membra ejus, quæ perseverantissime persecutus est. Ideo dicit, quia « Persecutus » est hominem inopem et mendicum. » Potest quidem accipi de Juda, quia non est dedignatus Dominus pauper fieri, cum dives esset, ut illius paupertate nos ditaremur². Mendicum autem quomodo intelligam, nisi forte quia dixit mulieri Samaritanæ: « Da mihi bibere³: » et in cruce ait: « Sitio⁴? » Sed quod sequitur quomodo accipiat in ipso capite nostro, id est, sui corporis Salvatore, quem Judas persecutus est, non invenio. Cum enim dixisset: « Et persecutus est hominem inopem et mendicum: » adjecit atque ait: « Et compunctum corde mortificare: » id est, ut mortificaret. Nam quidam etiam sic sunt interpretati. Compunctus autem corde non solet dici, nisi stimulis peccatorum in dolore poenitendi: sicut de illis dictum est, qui cum audissent Apostolos post Domini ascensionem, « Compuncti sunt corde, » qui occiderant Dominum. Quos allocutus est beatissimus Petrus dicens inter cætera: « Agite poenitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi, et dimittentur vobis peccata vestra⁵. » Sed quoniam iidem ipsi membra ejus facti sunt, cujus in ligno membra fixerunt, populus Judæorum non est recordatus facere misericordiam; persecutus est hominem inopem et mendicum, sed in membris suis: de quibus dicturus est, quod atti-

¹ Rom. xi, 20, 21. — ² 2 Cor. viii, 9. — ³ Joan. iv, 7. — ⁴ Id. xix, 28. — ⁵ Act. ii, 37, 38.

net ad ipsa opera misericordiæ, « Quando uni ex minimis » meis non fecistis, mihi non fecistis¹. Et compunctum » corde mortificare: » plane, « Compunctum corde, » sed in membris suis. De his autem qui persecuti sunt, ut compunctum corde mortificarent, erat et Saulus, consentiens in necem Stephani compuncti corde²: quia et ipse Stephanus de illis erat, qui compuncti sunt corde. Sed Saulus recordatus est facere misericordiam; et qui mane rapiebat, ad vesperum divisit escas³: et ipse compunctus corde, ut etiam in illo ipsi persequerentur inopem, volentes mortificare compunctum corde. Hoc quippe oderant in Paulo apostolo, quia compunctus corde prædicabat quem fuerat ante persecutus. Inopem quippe et mendicum et compunctum corde in membris suis et ipse ut mortificaret, persequens, audivit de cælo: « Saule, Saule, » quid me persequeris⁴. » Et factus compunctus corde, cœpit talia pati, qualia faciebat compunctis corde.

XX. Deinde sequitur Psalmus: « Et dilexit maledictionem, et veniet ei⁵. » Quanquam et Judas maledictionem dilexerit, et furando de oculis, et Dominum vendendo atque tradendo: tamen apertius populus ille dilexit maledictionem, quando dixit: « Sanguis ejus super nos » et super filios nostros⁶. Et noluit benedictionem et elongabitur ab eo. » Et Judas quidem quia Christum noluit, in quo est æterna benedictio: sed apertius noluit benedictionem populus Judæorum, cui dixit ille illuminatus a Domino: « Numquid et vos vultis discipuli ejus » fieri? » Et noluit benedictionem, et pro maledicto habuit: et respondit: « Tu sis discipulus ejus⁷. » Et longe facta est ab eo benedictio, quia transitum fecit ad Gentes. « Et induit maledictionem sicut vestimentum: » sive Ju-

¹ Matth. xxv, 45. — ² Act. vii, 59. — ³ Gen. xlix, 27. — ⁴ Act. ix, 4. — ⁵ Psal. cviii, 8. — ⁶ Matth. xvii, 25. — ⁷ Joan. ix, 27, 28.

das, sive ille populus. « Et intravit sicut aqua in interiora ejus. » Ergo et foris et intus; foris sicut vestimentum, intus sicut aqua: quoniam in ejus incidit iudicium, qui potest et corpus et animam occidere in gehenna¹: corpus foris, animam intus. « Et sicut oleum » in ossibus ejus. » Ostendit eum cum delectatione malefacere, et comparare sibi maledictionem, hoc est, poenam æternam: quia benedictio vita æterna est. Modo quippe malefacta delectant, sicut aqua in interiora, et sicut oleum in ossibus: sed ideo maledictio vocatur, quia talibus Deus tormenta prædixit. Tanquam in ossibus autem oleum est maledictio, cum homines inde se fortes putant, quia licet eis mala tanquam impune committere.

XXI. « Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur. » Cum superius jam dixerit de vestimento, quid est quod repetit? An quia dixerat: « Induit maledictionem sicut vestimentum, » differt ab eo vestimentum quo non induitur; sed operitur? Induitur enim quisque tunica, operitur pallio. Et quid est hoc, nisi etiam in conspectu hominum de iniquitate gloriari? « Et sicut zona, inquit, qua semper » præcingitur. » Maxime homines ideo præcinguntur, ut ad operandum sint aptiores, ne vestis sinibus præpediantur. Ergo maledictione se præcingit, qui malum non repentinum, sed dispositum aggreditur, et ita discit malefacere, ut semper paratus sit. Unde et hic ait: « Et sicut » zona, qua semper præcingitur. »

XXII. « Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud » Dominum². » Non dixit, merces eorum; sed, « Opus » eorum. » Manifestum est enim quod indumento et operitorio et aqua et oleo et zona ipsa opera describebat, quibus æterna maledictio comparatur. Non ergo est unus Judas, sed multi de quibus dicitur: « Hoc opus eorum,

¹ Matth. x, 28. — ² Psal. cviii, 20.

» qui detrahunt mihi apud Dominum. » Quanquam et pluralis numerus poni potuit pro numero singulari: sicut Herode mortuo dictum est ab Angelo: « Mortui sunt qui » quærebant animam pueri¹. » Sed qui magis detrahunt Christo apud Dominum, nisi illi qui ipsis verbis Domini detrahunt, dicentes non esse ipsum quem Lex Domini et Prophetæ prænuntiarunt? « Et qui loquuntur, inquit, » mala adversus animam meam. » Negando eum, cum voluisset, potuisse resurgere: cum dicat: « Potestatem » habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam². »

XXIII. « Et tu, Domine, Domine, fac mecum. » Quidam subaudiendam putaverunt « Misericordiam, » quidam vero et addiderunt: sed emendatiores codices sic habent, « Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter » nomen tuum³. » Unde sensus altior non est prætermittendus, ita dixisse Filium Patri, « Fac mecum, » quia eadem sunt opera Patris et Filii. Ubi etiamsi misericordiam intelligamus: (sequitur enim, « Quia suavis est misericordia tua:) et ipsam quia non dixit, Fac in me; vel, Fac super me; vel aliquid hujusmodi; sed, ait, « Fac mecum; » bene intelligimus et Patrem et Filium simul facere misericordiam in vasa misericordiæ⁴. Potest hoc etiam sic intelligi: « Fac mecum, id est, adjuva me. Quod in quotidiana loquendi consuetudine habemus, cum de aliqua re, quæ pro partibus nostris est, dicimus: Nobiscum facit. Pater quippe adjuvat Filium, in quantum Deus hominem, propter formam servi: cui homini Deus, et cui formæ servi etiam Dominus est Pater. Nam in forma Dei, Filius adjutorio non indiget: æqualiter enim cum Patre omnipotens est, ex quo et ipse adjutor est hominis. « Sicut enim pater suscitavit mortuos et vivificavit, sic et filius quos vult vivi-

¹ Matth. ii, 20. — ² Joan. x, 18. — ³ Psal. cviii, 21. — ⁴ Rom. ix, 23.

» ficat¹. » Nec alios Pater, alios Filius; aut aliter Pater, aliter Filius: quia et eadem facit, et similiter. Unde in quantum homo est Filius Dei, Deus suscitavit illum a mortuis, hoc est Pater, cui dicit in Psalmis: « Suscita me, et reddam illis². » In quantum autem Deus est, etiam ipse se suscitavit: propter quod dicit: « Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud³. » Quod etiam hic significavit, si quis diligenter intendat. Scrutari enim jussit Scripturas, quæ testimonium perhibent de illo⁴, non in superficie pertransiri. Non enim tantummodo ait, « Tu, Domine, Domine, fac mecum: » sed ait, « Et tu: » Quid est, « Et tu, » nisi, quia et ego? Quod autem non semel, « Domine, » sed repetens ait, « Domine, Domine; » habet in hoc orantis affectum: sicuti est, « Deus, Deus » meus⁵. » Quod vero, cum dixisset, « Fac mecum; » addidit, « Propter nomen tuum: » gratiam commendavit. Nullis enim operum meritis præcedentibus in tantam celsitudinem subvecta est humana natura, ut totum simul Verbum et caro, hoc est, Deus et homo, unigenitus Filius Dei diceretur. Hoc autem factum est, ut ab illo qui creaverat, per id quod non perierat, id quod perierat, quæreretur. Unde et hic sequitur, « Quia suavis est misericordia tua. »

XXIV. « Libera me, quia egenus et pauper ego sum⁶. » Egestas et paupertas, infirmitas est, ex qua crucifixus est. « Et cor meum conturbatum est intra me. » Hoc ad illud refertur, quod ait propinquante passione, « Tristis » est anima mea usque ad mortem⁷. »

XXV. « Sicut umbra cum declinat, ablatum sum⁸. » Hoc ipsam mortem significavit. Sicut enim ex umbra declinante fit nox, sic ex mortali carne fit mors. « Excussus » sum sicut locustæ. » Hoc jam in membris ejus, hoc est,

¹ Joan. v, 21. — ² Psal. xl, 11. — ³ Joan. ii, 19. — ⁴ Id. v, 39. — ⁵ Psal. xxi, 2. — ⁶ Id. cviii, 22. — ⁷ Matth. xxvi, 38. — ⁸ Psal. cviii, 23.

fidelibus ejus, convenientius intelligi existimo. Quod ut aliquando apertius poneret, maluit dicere: « Sicut locustæ, » quam sicut locusta: quamvis et numero singulari possent accipi etiam multæ; sicut illud est, « Dixit, et venit locusta¹: » sed esset obscurius. Excussi sunt ergo, id est, fugati a persecutoribus fideles ejus, quorum vel multitudinem significari voluit nomine locustarum, vel quod transilierunt de loco in locum.

XXVI. « Genua mea infirmata sunt a jejunio². » Legimus Dominum Christum quadraginta dierum habuisse jejunium³: sed tantum-ne valuit in eo illa inedia, ut genua ejus infirmarentur? An et hoc in membris ejus, hoc est, sanctis ejus aptius intelligitur? « Et caro mea immutata » est propter oleum: propter gratiam spiritalem. Unde et Christus appellatur a chrismate: chrisma autem unctio est. Caro autem propter oleum non in deterius, sed in melius immutata est, hoc est, a mortis contumelia in gloriam immortalitatis exurgens. Cum itaque dixisset: « Genua mea infirmata sunt a jejunio, » ubi significatum esse arbitror eos qui in membris ejus fortes videbantur, tanquam præsentia panis quo sustentabantur abstracta, in ejus passione defecisse usque ad negationem, quæ apparuit in Petro: tanquam ad eos confirmandos, ne succumbendo penitus caderent, « Et caro mea, inquit, immutata est propter oleum, » ut eos mea morte deficientes, mea resurrectione firmarem, et misso Spiritu sancto unguerem, qui non ad eos venisset, nisi ego abissem. Hoc enim dixerat, « Non potest ille venire, nisi ego abiero⁴. » Et Evangelista dixit, « Nondum erat Spiritus datus, quia » Jesus nondum fuerat glorificatus⁵. » Nondum erat immutata caro ejus. Sive autem per aquam propter ablutio-

¹ Psal. civ, 34. — ² Id. cviii, 24. — ³ Matth. iv, 2. — ⁴ Joan. xvi, 7. — ⁵ Id. vii, 39.

nem vel irrigationem, sive per oleum propter exultationem et inflammationem charitatis, significetur Spiritus sanctus; non ideo est a se ipso diversus, quia signa diversa sunt. Multum enim diversa sunt etiam leo et agnus, et tamen utroque significatus est Christus. Leo propter aliud, agnus propter aliud; non tamen alius: quia nec fortis est agnus, nec innocens leo; Christus autem et innocens est ut agnus, et fortis ut leo. Dicit autem apud Isaïam ipse Jesus Christus, « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me¹. »

XXVII. « Et ego factus sum opprobrium illis²: » per mortem crucis. « Christus enim nos redemit de maledicto » Legis, factus pro nobis maledictum³. Viderunt me, et » moverunt capita sua. » Quia viderunt pependisse, non viderunt resurrexisse: viderunt quando genua ejus sunt infirmata, non viderunt quando est caro immutata.

XXVIII. « Adjuva me, Domine, Deus meus, salvum » me fac secundum misericordiam tuam⁴. » Hoc ad totum referri potest, id est, et ad caput, et ad corpus: ad caput, propter formam servi; ad corpus, propter ipsos servos. Potuit enim et in eis dicere Deo: « Adjuva me, » et salvum me fac: » in quibus Saulo dixit: « Quid me » persequeris⁵? » Quod autem addidit, « Secundum » misericordiam tuam: » gratuita gratia commemoratur, non ex operum debito.

XXIX. « Et sciant quoniam manus tua hæc, et tu, » Domine, fecisti eam. » De his dixit, « Sciant⁶; » pro quibus sævientibus et oravit: quia in eis quibus factus est opprobrium moventibus in ejus illusionem capita sua, erant etiam hi qui in eum postea crediderunt. Discant autem qui formam humani corporis Deo tribuunt, quomodo habeat Deus manum. Si enim quod facit, manu facit,

¹ Isaï. LXI, 1. — ² Psal. CVIII, 25. — ³ Gal. III, 13. — ⁴ Psal. CVIII, 26. — ⁵ Act. IX, 4. — ⁶ Psal. CVIII, 27.

numquid et ipsam manum suam manu facit? Quomodo ergo hic dictum est, « Et sciant quoniam manus tua hæc, » et tu, Domine, fecisti eam? » Intelligamus itaque manum Dei esse Christum: unde alibi dicitur, « Et brachium » Domini cui revelatum est¹? » Hæc manus et erat, et fecit eam: quia, « In principio erat Verbum, et Verbum » caro factum est². » Et erat sine tempore secundum divinitatem, et factus est ei ex semine David secundum carnem³.

XXX. « Maledicent illi, et tu benedices⁴. » Vana est ergo et falsa maledictio filiorum hominum, diligentium vanitatem, et quærentium mendacium⁵: Deus autem cum benedicit, facit quod dicit. « Qui insurgunt in me, com- » fundantur. » Ut enim insurgant aliquid se adversus me proficere arbitrantur: sed cum exaltatus fuero super cælos, et esse cœperit super omnem terram gloria mea, confundentur. « Servus autem tuus lætabitur: » sive in dextera Patris, sive in membris suis lætantibus, et inter tentationes in spe, et post tentationes in æternum.

XXXI. « Induantur qui detrahunt mihi pudorem: » id est, pudeat eos detraxisse mihi. Sed hoc potest et in bono accipi, dum corriguntur. « Et operiantur sicut di- » ploïdem confusionem suam⁶. » Diploïis duplex pallium est. Nam quidam etiam sic interpretati sunt istum versum, « Et operiantur sicut pallium duplex confusionem suam. » Intelligitur autem, confundantur et intus et foris; id est, et coram Deo et coram hominibus.

XXXII. « Confitebor Domino nimis in ore meo⁷. Ni- » mis » dici solet in consuetudine sermonis latini, quod plus est quam debet: cui contrarium est parum, quod minus est quam debet. Sed « nimis, » græce ἀγαν dicitur:

¹ Isaï. LIII, 1. — ² Joan. I, 1 et 14. — ³ Rom. I, 3. — ⁴ Psal. CVIII, 4. — ⁵ Id. IV, 3. — ⁶ Id. CVIII, 29. — ⁷ Ibid. 30.